

2073

P O L E M I C I.

2074

Hib. p. 377. et Offingeri Bibl. August. p. 426.

VII. fol. 295. *Collationes variae sive Quaestiones Magistrales ex Libris Sententiarum tempore Nicolai de Dünkelspühl et Michaelis Suchenschatz, quorum nomina interveniunt, id est, sub initium Sec. XV. in Academia nostrate ventilatae, quarum initium est: Caput tuum ut Carmelus can. 7. reuerendi patres domini et magistri dilectissimi &c.*

VIII. fol. 360. Anonymi Sermo ad Academicos de S. Johanne Evangelista in illud Eccl. 15. *In medio ecclesiae aperuit os ejus. Initium: Originaliter et transsumptively in officio hodierno, Reuerendi &c. secundum iohannem crisostomum augustinum et gregorium &c.*

DXLVII.

117 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per 2. Columnas calamo currente exaratus continet *Richardi Radulphi fil. (Fitz-Ralph f. Rauf) Hiberni Dundalkensis ex Academiae Oxon. Commissario, Archidiacono Cestrensi et Decano Litchfeldensis Ecclesiae Archiepiscopi Armachani ac Patriae Primatis Avenione ad Curiam Romanam, quo a Fratibus Mendicantibus citatus fuerat, 1360. defuncti Libros VII. de Paupertate Salvatoris seu de Mendicitate Fratrum, ut alii Codices in Anglia praeferunt, qui etiam Librum octavum, quin et nonum memo-*

rant, non tamen Libellos 16. ut per errorem typi in Tb. Tanneri Biblioth. Brit. et Hib. p. 284. irrepsisse videtur. Praeit nuncupatoria Epistola hoc initio: Sanctissimo in christo patri ac domino, domino nostro Innocentio VI. diuina prouidentia sacrosancte romane ac vniuersalis ecclesie summo pontifici, sue sanctitatis humilis creatura Ricardus archiepiscopus armachanus primas Hybernie, pedum oscula beatorum. Dudum fel. rec. dominus clemens papa VI. sui regiminis Anno octauo (1349) venerabilibus duobus in Theologia doctis doctoribus ac mihi pusillo negocium quoddam inter duos precipuos mendicantium ordines, cum omni possibili diligentia annis plurimis laceratum &c. Sequitur Conspectus Operis διαλογικως inter Joannem et Ricardum conscripti, quem, cum ineditum sit, hic repraesentamus. Primus liber habens XXXIIII capitula tractat de diuino atque angelico dominio ac possessione rerum et usu ipsarum ab eis. Secundus liber tractat de humano originali dominio ipsum describens, ac partem descriptionis ipsius declarans. Tercius liber possessionem distinguit multiplicem qualem habuit primus parens noster ostendens descriptionem originalis dominij quo ad eius usum et alias circumstantias declarando. Quartus liber de proprietate et iure utendi ac de positioe siue ciuili dominio et eius possessione et usu ac iure utendi pertractat. Quintus liber de principiis ditantibus deum angelos bo-

nos et malos, homines bonos et malos pertractat. Sextus liber de principibus depauperantibus quo ad deum angelos et homines bonos ac malos pertractat, qualis erat saluatoris nostri paupertas, et apostolorum ac discipulorum ipsius et fratrum minorum et aliorum religiosorum communem vitam ac monasticam profitentium ostendens. Septimus liber contrarietates famosus et alias magis occultas inter decretales dominorum summorum pontificum fel. rec. Nicholai III. et Johannis XXII super paupertatis christi et apostolorum ipsius materia, que regule fratrum minorum adscribitur ab eisdem certis traditis documentis absoluit, et sic operi consummationem imponit. Libris singulis praemittuntur Capitulum lemmata. Inscriptio primi miniata est: *Incipit liber Ricardi archiepiscopi ardmachani ybernie primatis de pauperie saluatoris. Initium. Johannes. Quia circa rerum propter hominem creatarum inferius in hoc mundo dominium, proprietatem, possessionem, ius utendi &c. Finis totius Operis: totum renuens quod contristat, totum retinens quod delectat qui semper es benedictus in secula seculorum amen.* Codicem nostrum designat *Bibl. Gesneri*. Alia Exemplaria indicant *Oudinus*, *Fabricius*, et supracit. *Tannerus*, ex quo habemus, *Richardum* postliminio septem hisce Libris octavum adiecisse hoc initio: *Quia cum VII. libellos de pauperie Salvatoris composui, de mendicitate tractare non*

erat necessarium mihi visum; quoniam tamen in VII. libro de abusu privilegiorum a fratribus pertractavi, non ad plenum repugnantiam inter observantiam privilegiorum fratribus concessorum, et mendicitatis spontaneae tunc adverti &c. Ingratos hos *Richardi* pro seculari Clero stantis labores Mendicantium Familiis fuisse, nullo negotio quivis videt. Sed fortassis ingrator, qui sequitur. Est enim additus Codici nostro *Libellus* chartaceus ejusdem aevi per duas columnas scriptus *Folior. 13.* hoc titulo:

Incipiunt propositiones et articuli reuerendissimi in christo patris Rychardi Primatis ybernie per ipsum Dominum reuerendum edite ad honorem deo et gloriosissime matris eius marie nec non toti clero ac populo uniuerso per totius orbis climata disperso contra ordines mendicantes cuiuscunque status ac conditionis existant et hec predicauit coram domino papa in consistorio et cardinalibus ac prelatibus Anno domini M^o. CCC^o. LVII. die VIII. mensis nouembris &c. Initium: Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Job. VII. capitulo. Pater sanctissime in principio mei sermonis protestor quod non intendo aliquid asserere aut temere affirmare quod fidei obuiet christiane ac doctrine katholice, et quod non est intentionis mee destructionem seu cassationem ordinum mendicantium approbatorum ab ecclesia aut a summis pontificibus confirmatorum expetere aut swadere. &c.
Opufcu-

2077

P O L E M I C I

2078

Opusculum hoc alias inscribitur *Defensorium seu Defensio Curatorum adversus Fratres mendicantes*, et typis primo commissum est Lugduni per *Job. Trechsel* 1496. f. simul cum Responso *F. Rogerii Chonoe* (ita juxta pronuntiationem anglicam scriptum est nomen *Conway*) Franciscani, qui Suorum Privilegia contra *Richardum* popularem suum maxime, quod Parochianorum Confessiones a Mendicantibus exceptas adtinet, tueri conatus est. Controversiam totam more suo dilucide exponit *Launojus* in *Explicata Ecclesiae Traditione circa Can. Omnis utriusque Sexus*. T. I. Opp. c. 6. p. 274. Opusculum utrumque post plures editiones subsequas *Goldastus* T. II. *Monarch. Imp.* p. 1392. et *Edw. Brown* T. II. *Fasciculi Rer. expet. et fugiend.* p. 466. inferuit. Controversiam indecisam reliquit *Richardus* obitu suo, de quo, ut ait Scriptor anonymus Vitae Innocentii VI. *Fratres potius de Gaudeamus, quam de Requiem cantaverunt*. Nescio, qui factum, ut nostro in Codice Libellum aliena terminet subscriptio; ita enim legis: *Explicit sermo Rycharidi archiepiscopi armicani primatis ybernye apud crucem ecclesie sancti Pauli londonensis tercia dominica Quadrag. Anno domini Millesimo CCC. LVI. et consecrationis eiusdem Archiepiscopi Anno quarto &c.* Subscriptio haec ad ultimum ex quatuor *Richardi Sermonibus* pertinet, qui cura *Job. Sudoris* lucem videre *Pari-*

sis f. a. f. Neque tamen vel sic sincera est; cum enim *Richardus* 1347. Archiepiscopus *Armachanus* factus fuerit, annus 1356. Consecrationis quartus esse non potest, minus vero primus, ut in praedicta editione pro quarto legitur.

Quod demum Codici huic pretium addit, sequens est ad oram inferiorem *fol. r.* adscripta nota: *Iste est liber Magistri Adalberti Ranconis de Ericinio in Boemia. Et fuit Reuerendi domini Ricardi primatis ybernie, doctoris Eximij Sacre theologie. quem ipsemet dominus ricardus composuit contra fratres mendicantes in Curia Romana, ad instantiam Clementis* (ita rescriptum *Innocentio* erafo) *pape VI.* Idem, sed brevius, repetitur ad finem operis. *Adalbertum Ranconis de Ericinio* (Iglavia ab *Ericio* germ. *Igel*) ex *Balbini Bob. docta*, notisque ei a *Cl. Ungaro* subjectis novimus Doctorem Theologum *Parisiis* reversum *Pragae* Praelati Scholastici et Ecclesiasticis *Caroli IV.* munere effulsisse, librosque suos omnes Coenobio *Brzewnowiensi* O. S. B. transcripsisse. Facile igitur, dum in Gallis age-ret, *λεψανον* istud *Richardi*, quem fors vivum norat, nancisci potuit. Est illud praeterea utrinque tectum Literis archetypis *Clementis VI.* *Avinione* in membrana datis *II. Non. Januarii Anno Nono* (1350) ad Archiepiscopum *Eboracensem* (*Guilelmum le Zouch*) cui mandat, ut *Roberto dicto de Burle* pauperi Cleri-

2079

C O D I C E S

2080

co beneficium aliquod ecclesiasticum conferat.

DXLVIII.

- 308 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 41. f. curren-
te calamo scriptus, multumque
fitu passus inscribitur: *R. Archie-
piscopus Armachanus contra fra-
tres ordinis Mendicantium. Et
mox: In nomine patris et filij et
spiritus sancti et virginis Marye
dei matris. Amen. Propositio R.
(Richardi Radulphi f. five Fitz-
Ralph) Archiepiscopi Armacani et
Primatis Hybernie. facta in Con-
sistorio coram Domino Papa (In-
nocentio VI.) et Cardinalibus
alijsque Prelatis ad utilitatem Cle-
ri et populi christiani super mate-
ria mendicitatis et priuilegiorum.
contra fratres de ordinibus mendi-
cancium quibuscunque. apud Aui-
nionem die octaua mensis Nouem-
bris Anno Domini Millesimo Tre-
centesimo quinquagesimo septimo.
Thema: Nolite iudicare secun-
dum faciem. sed iustum iudicium
iudicate. Jo. VII. Capitulo. Ini-
tium: Pater Sanctissime in princi-
pio mei sermonis &c. Ad Cod.
anteced. ubi pluribus de hoc Ope-
re actum.*

DXLIX.

- 233 Codex chartaceus lat. varii
Aevi, Folior. 108. f. continet
sequentia: I. Epistolam *Luciferi*
ad Praelatos Ecclesiae, quae in-
cipit: *Lucifer princeps tenebra-
rum tristia profundi regnans Ache-*

rontis imperij &c. et jam alias
pluries notata est.

II. fol. 1. p. 2. absque titu-
lo: *Guilielmi de S. Amore Doct.
Paris. Tractatus de Periculis no-
vissimorum temporum*, contra Or-
dines Mendicantium. Indicatum
est pluries hoc opus, etiam
Cod. DCCCIX. sed sine mutilum;
in praesenti integrum excurrit
prout in editione *ibid.* citata, sed
Prologus contractior est, et ab
his verbis orditur: *Quia nos va-
cantes sacris scripturis et exponen-
tes eas attendimus in illis pericu-
la novissimorum temporum &c.*
Subscriptio ad calcem: *Explicit
abrenunciatio contra pseudo predi-
catores.* Confer et Cod. DXLV.

III. fol. 11. p. 2. absque ti-
tulo Tractatus contra Mendican-
tes, seu de Confessione proprio
Parocho facienda. Incipit: *Obe-
dite prepositis vestris et subiacea-
tis eis &c.* et IV. Articulis con-
stat: de confitentis obedientia, de
confessionis efficacia, de confes-
sione ordinario, de confessione adven-
ticio. Richardi Armachani et Gui-
lielmi de S. Amore affecta est
Autor, moderatus tamen; ait
enim in Prooemio: *Nullum enim
erroneum intendo dicere. Absit hoc
a me. Quod si contra intentionem
meam esset in hoc tractatu erro-
neum aliquid ab ecclesia iudicatum
ex nunc reprobato et reuoco &c.*
Tria haec Opuscula sub exitum
Sec. XIV. descripta videntur.
Quae vero sequuntur ad XV. per-
tinent.

IV. fol. 23. Confilia quaedam
ad Sectam *Hussitarum* reprimen-
dam,